

J. U. D.

D. HYACINTHI GIMMA;

Barenensis, Civitatis Neap. Advoc. Extraordinarii: Ruscianensis
INCUROSORUM Societatis Promotoris-Perpetui, &c.

DISSERTATIONUM ACADEMICARUM TOMUS PRIMUS,

Qui duas exhibet Dissertationes,

Nempe

- I. DE HOMINIBUS FABULOSIS.
- II. DE FABULOSIS ANIMALIBUS,

In qua legitur

DE FABULOSA GENERATIONE VIVENTIUM;

*Et Fabule in Philosophia-Experimentali: praesertim in Hominum, &
Animalium Historia Naturali introductæ, non sine ratione, &
Observationibus refelluntur.*



NEAP: Ex Typographia Michaëlis Aloysii Mutio. 1714.
SUPERIORUM FACULTATE.

P A R S T E R T I A. D E F A B U L O S I S Q U A D R U P E D I B U S.



Nimalia quaternis pedibus incedentia dicuntur Græce *Tetrapoda*, latine verò *Quadrupedia*, quæ tamen in Solidipedia, Bisulca, & Digitata, item & Fera & Semifera dividuntur. Sunt Solidipedia, quæ ungam unam habent solidam, & non bifurcatam, ut Asinus, Equus; quæ verò pedes bifurcatos habent, binis nempe fissuris utrinque, Bisulca appellantur, quorum alia sunt terrestria, alia aquatica, alia ruminant, quæ deglutitum pabulum mox ad os regurgitans revolvunt, & alia Cornigera. Bisulci quadrupedes, & digitati, aut Ovipati sunt, aut Vivipari, & in fera, semifera, & domestica animalia solent partiri. Quoniam non integrum Tractatum de *Animalibus*, sed tantum de *Fabulosis* ago, fabulosa quædam de nonnullis eorum scripta hic colligo, & primum

De Quadrupedum Solidipedum Fabulis.

C A P. I.

Intr Solidipes Asinum numerant, Elephantem, Equum, & Unicornum. De tribus ultimis aliqua scribam fabulosa. Elephantem habere crura sine nodis, & uno osse tantum solido, & inarticulato, ita ut flecti nequeat, quemadmodum quidam imperiti existimant, fabulosum est; ea namque habet magna, & fortia, & genua flectit, sicut cæteraque.

Hh

qua-

quadrupedia: quare Elephanti, ut refert Alois. Cadamustus, qui classe in Aethiopiam, & ad Calicut navigavit, ut eos qui deferri volunt, suscipiant, genua submittunt, & deinde fessae erigunt. Habent sane planam, & duram pellem, crura sunt recta, & æqualiter rotunda, sicut columnæ, quandoque plena magnitudine hominis; licet ambulando curvari non videantur: jacent humi, & falsum est, quod arboribus inhereant. Sic scribunt Matthiolus lib. 2. cap. 50. ad Dioscor. Parœus lib. 24. cap. 22. Jo: Bapt. Tavernier in *Itin. Indic.* lib. 1. cap. 34. Legrentius par. 2. *Itin. P. Vinc. Mar. à S. Cathar.* in suis *Itin. Ind.* lib. 4. cap. 11. qui in India Elephantos viderunt; & ego Neapoli Elephantem vidi gestientem à Circulatoribus circumferri. Plinii errorem manifestum deprehendi ait Matthiolus afferentis marem quinquennem, fœminam decennem genet rare, cum non coeant, neque gignant, nisi annum vigiliunt agant, ut ait Arist. lib. 6. hist. anim. cap. 27. Non annis decem, ut vulgus, sed biennio utero gerunt, dixit idem Arist. & confirmat Solinus cap. 38. qui nec amplius, quam semel, nec plus res, quam singulos gignere scribit: fed Parœus fatetur ab aliis non attingi, nisi unam fœminam, à qua etiam sedulò se abstinant, cum gravidam esse cognoverint, & quandiu fœmina utero gerant, scire non posse. Quod ad Religionem attinet, scripsit Plutarchus eos Diis preces fundere, se marina aqua lustrare, Solem orientem proboscide manuum loco in Columnam clara pio ritu, & magna observantia colere. Plinius addidit illos pari cultu Lunam, & Stellas prosequi; memorant enim Arabum historiæ nova Luna magnis agminibus Elephantes in fluminis descendere, illuc se aqua ablueret, lustratos Lunam flexis genibus venerari, inde in sylvas se recipere seniores preceunte, & inde pro ætatis ratione sequentibus ceteris. Hæc fabulosa esse ait Garzias ab Horto, & Parœus, & si notu ad Lunam, & manu ad Solem se obvertant, non adorantes id faciunt, sed quod ita poscente natura, & ducente, corpora sua tanto lumine gestire, & viscera, humoresque exanimare sentiant. Mendacium item Plinii lib. 9. cap. 1. ait esse Garzias, eos timore suis affici, cum saepè in eorum stabula suæ ingrediantur, & in Sylvas Malabaricas suæ cum Elephantibus comitentur.

Non est autem hic omitendum, quod Elephants
offa,

osfa , & dentes fuerunt saepe credita Gigantum ; sic Gigantum dentes pro Elephantum dentibus . Fuisse quidem in Sicilia Gigantes , jam retuli in *Dissertat. 1. de Homin. Fabul. par. 2. cap. 5.* & plura cumulavit exempla , & authoritates eruditissimus Socius , & amicus D. Antoninus Mongitore Panormitanus (cui Siculae Literæ multum debent , ob editam nobilissimam *Scriptorum Bibliothecam* , & alia opera non injucunda) in *Observe. & Addition. ad Siciliam Inventricem* Vincentii de Auria J. C. Panorm. & Socii eximii . Distinguit dentes Gigantum ab illis Elephantum ; ita osfa mineralia , seu potius ex terra coagulata , quæ figuram ossium habent ; solida tamen , & sine cavitate ad medullam retinendam , & in Crypta prope Panorum observata à Kircheto , ut refert in *Mund. Subter. lib. 8. cap. 4.* & exquirit Ernestus Tentzelius in *Epist. de Scleto Elephanto Tonna effuso* .

Unicornis , vel Monoceros , animal dicitur equo simile , ungulis fixis , cornu tamen procerum in fronte gerens : at multi dubitant , an unquam fuerit in rerum natura , cum vix sit , qui cum viderit , locus , ubi sit ignoratur , & de ejus descriptione dissentient Authores . Scribit Ludovic. Romanus dari quædam animalia , quæ cornu gerant in media fronte , Onager Indicus , Vaccæ quædam in Zeila Urbe Æthiopicæ , Camphur animal amphibium in Insulis Moluccis , aves quædam in Æthiopia , & quidam pisces ; sed Monocerotem dari , vel non contendunt . Aelianus eum describit , & reperiri ait in intimis regionibus Indiae Orientalis : Nicolaus Venetus eum collocat in extremis Africæ partibus in Provincia Macina : Marcus Polus in Regno Basinæ , alii aliter . Quoad corpus discentiunt etiam ; nam Plinius facit eum equo similem magnitudine , capite cervi , pedibus Elephanti , cauda apri , uno cornu nigro in media fronte duorum cubitorum . Munsterus aliter eundem describit , & aliter etiam Cardanus : alii dicunt esse procerum , alii pusillum . Non conveniunt de ejus natura ; nam quidam dicunt esse perpetuo ferum , alii arte posse curari : alii eum conducerant inter feras , & quod tempore coitus mansuetus , & quod in siu virginis puellæ , in quem caput ponat , soporatus capiatur . Recentiores , qui in diversa loca peragrarunt , nunquam fuisse visum fatentur ; ideoque pro fabuloso animali habetur . Quamplurimi non aliud esse

animal dixerunt, quām Rhinocerotem, qui tamen non in media fronte, sed in nare cornu ferat: ita sentiunt Aeneas Sylvius de Asia, Garzias ab Horto, Andreas Baccius, aliisque: alii Bovem Indicē dicunt esse, alii aliter, quare certum est esse fragmenta, quæ de Unicornu antiquorum scribuntur. Matthiolus scribit Munsterum non aliud Unicornu vidisse, quām pictum. Parcus prorsus fabulosum esse pluribus defendit. Cornua tamen, quæ circumferuntur pro cornubus unicornium, duplicitis sunt generis: alia terrestria, & fictitia, alia marina, & vera: dicunt ideo Moderni, ut scribit Bartholinus in tract. de Unicorn. quod reperiatur verum cornu marinum, pisces nempe, cuius ex anteriore capitis parte, seu fronte super os magnum frustum osseum eminet, saepius aliquot ulnarum longitudine; unde non tantum cornu, quām dens puratur. Est ideo marinus fructus, & oritur ex Cetibus, & Balenis magnis in Insulis Grutlandiæ, sive sponte deponatur, sive ex impetuoso incursu cum illo in saxa frangatur, & ibi copiosè reperitur, & ad nos defertur. Videndus ideo Bartholinus l.c. & in hist. anat. Vvormius in Musgo, Thulpius in Observ. & alii. Feruntur etiam cornua Rhinocerotis, aut teste P. Vincen. Maria à S. Cathar. cornua Bovis montani frequentis in Regno Basiman; sed Boves illi duo habent cornua, sicut nostri. Venduntur etiam saepè pro unicornu cornua fossilia ab Agyrtis, ut ait Libavius de Bitumin. lib. 8. cap. 17. Sæpe enim, inquit, succus quidam propriæ est naturæ, qui in terra subtili, argillaque existere solet, & forma cornu, vel dentis, vel ossium coalescit; & eodem modo fieri opinatur ostracitas, & pectines fossiles, & chernitas Plinii ebori similes, ollas quoque fossiles, & alia plurima, quæ sunt ossi lapides, dicta à Neandro, & cornua etiam, aut cornibus similes lapides vulgo Monocerotum, & solent frequenter in Germania reperiri: & putat etiam fieri ex bitumine. Nec desunt fraudes Agyrtarum in hujusmodi cornibus effingendis. Præterea nullam in cornu Monocerotis agnoscent virtutem Recentiores melioris notæ, vel eandem saltem, quam cornubus Cervi tribuunt; idem inter Veteres Medicos probavit fusiùs Parcus, et si plures vires contra venena, aliosque morbos describantur ab Authoribus, quos refert Andreas Baccius in lib. de Unicorn. Concludendum igitur est, fabulosum esse Monocerotem, & cornua, quæ

quæ feruntur , aut fictitia , aut aliorum esse animalium , & loca Scripturæ Sacræ sunt intelligenda de Rhinocerote , & de hoc legendus est Deusungius in tract. de Unicorns .

Equas in Lusitania flante Favonio prægnantes fieri crediderunt : Plinius lib. 8. cap. 42. animalem spiritum eo vento flante Equas concipere dixit ; idque partum fieri , & gigni per nicissimum , licet triennium vitae non excedat , scripsit : & Solinus idem evenire in Cappadocia refert ; & id confirmant Nierembergius lib. 1. de Mirac. nat. qui aliud refert exemplum , & alii : & ante ipsos Varro , Columella , Virgil. in Georg. Locum assignat Plinius in Lusitania circa Ulyssiponem oppidum , & amnem Tagum. Hoc etiam refert Augustinus lib. 1. de Civit. Dei c. 5. aliique graves viri . Magna quidem fabula est , neque tantum de Equabus , sed de aliis animalibus idem scribunt ; sic legitur apud Nicandrum , testudinem flantibus vensis concipere . Probat Aristoteles nullum dari partum per os , ut supra dictum est ; sic non posse feminam sine mare concipere , nec ullum generari animal sine ovo , & semine satis probavi . Scribit Jusslinus hist. lib. 44. In Lusitanis juxta fluvium Tagum equas vento concipere multi Authores prodiderunt , quæ fabulæ ex equis , & equarum fecunditate , & gregum multitidine natæ sunt ; qui tanti in Gallæcia , & Lusitania , ac tam pernices visuntur , ut non immerito ipso vento concepti videantur . Hæc Justinus . Dici etiam poterit flante vento Equas concipere , iis nempe temporibus , in quibus venti Zephyri flare incipiunt : ita dicitur Cervos concipere post arcturi sidus : Sues à Favonio ad equinoctium vernum , ursos hyemis initio : quibusdam enim animalibus statuta sunt tempora , & concipiendi , & pariendi ; hinc orta est fabula , quod vento Equæ concipient . Quod autem Equa pullorum hippomanes voret , quod in multis utile sit , fabulosum esse ostendit Theophrastus in lib. de Animal. quæ dicuntur invidere . Ita dicunt Cervum , Selionem , Vitulum marinum , Echinum , Lyncem , alia propter invidiam operari , ut suis locis inferius ostendam ; non enim tanta sapientia animalibus ratione parentibus esse potest , quam frequenti meditatione adsequuntur homines . Vitulus marinus cum se captum videt , coagulum evomit timore turbatus ; non quod sciat expeti , quia illud epilepticis auxiliatur ; sic de aliis , quæ invidentia creduntur .

Equum,

Equum , & hominem tantum canitatem habere ex animalibus ait Plinius lib. 11. quod sumpsit ab Arist. 30. Hist. animal. De equo negat Tassonus lib. 5. ques. 8. assertque alium Aristotelis locum afferentis Sect. 11. Probl. 62. Solum hominem fieri canum : & lib. 3. cap. 12. hist. anim. ipse Aristoteles ait, avium pennas quandoque fieri albas non senecture, sed frigore, aut aquis regionis . Sic quandoque etiam pueri fiunt cani aue ex infirmitate, aut ex corporis constitutione, aut ex regionis, vel stirpis proprietate ; & plura tradit exempla idem Tassonus . Revera tamen equos omnes in senectute albescere rursum plus, minusve, juxta colorum varietatem mihi testatus est sex equis, in equorum cognitione instructissimus, & id hunc observari constanter affirmavit, & Tassonum falli.

De Bisulcis Quadrupedibus :

C A P. II.

INTER Bisulca animalia sunt Bos, Ovis, Hircus, Cervus, Tarandus, Alces, Rhinoceros, Camelus, & Camelopardalis, de quibus aliqua fabulosa hic refero.

Tarandus dicitur à Solino cap. 42. animal apud Gamantes boum magnitudine bisulco vestigio, ramosis cornibus, capite cervino, usque colore, & pariter villo profundo, & quod habitum metu vertat, & cum delitescat fieri affinitatem cuicunque rei proximaverit, sive illa falso alba sit, seu fructuoso virgens, sive quam aliam præferat qualitatem. Ita facere ait in mari polypos, in terra chameleontes. Hæc Solinus à Plinio lib. 8. cap. 34. sumpsit, & Plinius à Theophrasto, qui in lib. de animal. que colorem immutant, Tarandum descripsit, rarum esse animal dixerat etiam, & insolens, & raro conspiciri, apud Scythas, & Sarmatas nasci. Philo Judæus eadem habet, & facile latere animal propter mutationem coloris, & hac de causa potius, quam ob corporis fortitudinem difficile capi. Furlanus autem in Annot. ad Theophrast. ait nihil in historiis dictum esse de Tarando; sed in auditis tandem miraculis. Sed Aelianus lib. 2. cap. 16. Plinius, & alii à Theophrasto omnia transcripserunt, cuius verba Plinius transluit.

Ari-

Auctoreles loquitur fusè de Chamæconte; nihil tamen de hoc animali , quod fabulosum est dicendum , cum omnes dicant ex aliorum relatione , & utantur verbis traditur , fertur , affirmant . Capra tamen in Regno Malabarico , quam P. Vinc. Maria à S. Cathar. in *Itin. Indic. cap. 12. lib. 4. in fin.* opinatur esse Tarandum Scythicum constat ex eadem sua descriptione , aliud esse ; ipsemet enim affirmat facilissimè reperiri , & circuari , equi , & non bovis habere similitudinem , & colorem non mutare ; nec mirum est posse duo animalia in aliqua exteriori parte assimilari ; licet diversa sint . Numerat inter familiam Cervorum Tarandum Charletonus in *Onomast. Zoic.* & ait , quod sit familiaris Septentrionalibus , & quod sit ejus tergori tanta durius , ut thoraces ex eo faciant . Nihil aliud subdit ; unde dicendum est ab allatis authoribus Tarandi notitiam sumpsiisse .

Bovis , & Verveticis cornua prope Goam in India , si in terram decidunt , radices mittere , & plantas fieri animatas , que non sine difficultate è terra evellantur , dixit Nierembergius , & alii ; sic Petrus Borelli *Centur. 4. suar. Observ.* scripsit *Observ. 52.* *Cornua etiam vervecina , & bubula vidi , que radices in terra egerant , ut cornu plantabile Linsecotti .* Franciscus Redi hanc esse fabulam scripsit Antonius Morera Canonicus Cathedr. Eccles. Goæ , & inventam ad significandam Orientalium mulierum libidinem , quæ si virorum capitibus cornua semel fixerint , ea continuò sciant sustinere . Similem dedit Regiae Societati Angliae responsionem Eques Filibertus Vernati in Baravia Residens in Majori Java .

Oves in Arabia caudam habere amplitudine trium cubitorum , quam ne deformetur , in proprio curru pastores adaptent ; & alias caudam habere latitudine unius cubiti , fabulas sunt Herodoti .

Cervorum ætatis annos dignosci posse ramorum numero , quod singulis annis unum superaddant , vanum esse credere ait Matthiolus *lib. 2. ad Dioscor. cap. 52.* quippe cum longè admodum sint , si quotannis ramorum numerus augeretur , profecto iis , qui ultra centum annos vixisse narrant . Autores , cornua queribus , & panis majoris fuissent . Theophrastus *lib. 1. cap. 1. de hist. plantar.* scribit Cervos quotannis cornua amittere ; id confirmat Matthiolus ; & Rhedius ait ea amittit

amitti mense Martio , & renovari post octo , vel decem dies ; ita ut initio mensis Julii renovata videantur , & dura ; & ramorum numerus varius est juxta ætatem , & ramorum diversitatem . Refutat Vossium negantem ea quotannis renovari , & probat impossibile esse , ut ramorum numerus crescat ; etenim quando dura sunt , venæ , & arteriæ , quæ per cornua excurrebant , dum erant tenerimæ , sufficienti carent sanguineo alimento , quo rami possint multiplicari . Matthiolus non contradicit Aristotelii , quod cornu sinistrum , ut fertur à nemine sit compertum , quoniam illud tanquam præditum quodam medicamento à Cervis occultetur , licet Plinius , & Albertus dextrum occultari dicant . Hanc quoque esse fabulam puto , quam ostendit Theophrastus esse , animalia invidere , ut dixi supra de Equabus .

Hircum permettere suæ capræ adulteria credunt nonnulli ; & huic sententiæ favent carmina Catulli ad *Contubernales* , quæ omitto , quia obscena . Hanc hirci proprietatem fabulosam esse Pierius in *Hieroglyph.* credere videtur . Rhodiginus lib. 12. cap. 58. citat Ælianum referentem contrarium exemplum ; nempe Chratim apud Sybarim pastorem ab hirco gregis duce astro zelotypiæ agitato , dormientem fuisse interfectum , eique sinciput cornu illisum ; eo quod capellam omnium formosissimam veneris incendio inibat , ac uti amicam grātē amplexabatur ; quin etiam munuscula ei offerebat , pabulum scil. lētius , & amēnus . Hoc etiam ex historiis Græcis advocasse Volaterranum , & Cœlium ait Textor in *Officin.* Servius in *Eclög.* 3. Virg. ait non ferri æmulum in re venerea ab hirco , neque aliud animal coram se ineundo . Alex. Tassonus lib. 10. quas. 34. refert Pastores interrogasse , qui affirmarunt verum esse , quod hirci quandoque se lingunt , & quod hircus , in veneris actu à suo æmulo præventus , os aperiat , quasi propter risum ; sed quod plerumque inter se cornibus contendant : unde purat communem sententiam ortum duxisse ab eo , quod vel una vice evenit , vel quod nunquam fit : sic Castorem sibi testes avellere credunt , & Aquilam pullos exponere ad solares radios , ut debiles rejiciat . Vere hircus venerus est ; cætera fabulam sapiunt , & non modò hirci ; sed etiam capræ cornibus certant .

Hirci sanguinem calidum , & recentem non sine magno

na-

naturæ miraculo affirmant Plinius , Albertus , aliquie tanta vi pollere, ut vis Adamantis indomita, qua suarum partium integrum contra ferri, ignisve injurias connexionem pertinaciter tuerit, ita afficiatur , ut tandem conniveat , & atteri patiatur ; indeque seposito omni superbo, quo antea gloriabatur, fastu , malleis , & incudibus cedat , ut sese in minimas etiam partes frangi , mangonum usui permittrat , qui iis postea fragmentis nullam duritatem non superant , ut ait Rueus de *Gemmis* . Sungetamen , qui id pluries tentarunt nullo felici successu : & libet etiam hic referre verba Thom. Cornelii *Prognomas*. I. ut ejus legatur sententia de sanguine hirci, & alii nonnullis : sic enim scribit (Illud Epicharmi memoratum à Q. Cicerone tenendum, *Nervos, atq; artus esse Sapientie non temere credere*. Per magni quidem interest naturæ phænomena perspicere , & eorum, quæ narrantur, fidem usu , ac periclitatione , si liceat , experiri , ne in errorem illorum rapiamus, qui tempus frustra conterunt in exquirenda ratione eorum , quæ non sunt . Cur allium obster quominus Magnes ferrum ad se trahat. Quare hircinus sanguis adamante m frangat , atque comminuat . Quomodo Echenéis parvus pisciculus magnarum navium cursum remoretur . Quamobrem occisi sanguis ad intersectoris presentiam e vulnere foris erumpat . Quid sit, cur Paracelsi unguentum saucios procul absentes ad sanitatem reducat . Multa istiusmodi commenta disputantur in Scholis, quæ quum plena sint futilitatis, summæque levitatis , tamen quò longius removentur à vero , eò creduntur libentius, & jucundiore pruritu titillant aures auscultantium .)

Rhinocerotis cornu eximias habere virtutes contra venena , & morbos negat Redius , aliquie, ut dictum est de Unicorno.

Alcem Capris facit similem Ravisius Textor in *Officin. figura*, & pellibus, sed aliquanto majorem; crura scribit habere sine nodis , & articulis ; propterea in somno adhaerere stantes arboribus , quas ut capiant venatores , arbores ipsas pene totas amputare, ita ut facilis impulsu valeant prosterni , & ita, incidentibus illis cadere Alces , supinasque surgere non posse. Hæc Textor sumpsit à Plinio lib.8. cap. 15. Sed Plinius Alcem commemorat; inde natam in Scandinavia Insula, nec unquam yifam in hoc Orbe , multis tamen narratam scribit , Machlin

Alcen haud dissimilem illis ; & ea refert, quæ Textor Alcibus assignat de Cruribus sine nodis . Utrumque fabulosum puto ; his enim animalibus tribuerunt, quæ de Elephante dicuntur, quod nodis careat, ut dictum est supra .

Camelum genua flectere sponte , ut oneretur , quemadmodum credit vulgus ; inde onere justo sumpto sponte etiam erigi negat Legrentius part.2. *Itin.in princ.* vidisse enim ait plures, qui nisi à suo domino facto signo non erigebantur , & esse onus ad arbitrium , quod plerumque non excedat libras 700. & quod maius ferrent ; sed erigi non possent, nec apti ad itinera redderentur . Contrarium scribit Jo: Bapt. Tavernier in *Itin. Turcic. part. I.lib. I. cap. 19.* & quod sponte suas faciant operationes Camelii ad eas assueti ; & plura de Camelorum educatione , & natura narrat .

Camelopardalis , vulgo *Giraffa* dicitur . Ex *Camelo* , & *Panthera* generari dicunt : hoc negat Gabriel Bremondus in *Itin. Aegyptiac. lib. I. cap. 22.* eò quod mares , & feminæ reperiuntur .

Satyri, si animalia essent , hic deberent reponi ob caprærum similitudinem , & pedes bisulcos . Fuit de iis sermo in *Dissertat. I. part. 3. cap. 2.* & 6. ubi non homines, neque animalia esse ostendi , hic tantum repeto verba Satyri, qui Antonio responsum dedit; nempe : *Mortalis ego sum, & unus ex accolis Eremiti, quos vario delusa errore gentilitas, Faunos, Satyrosque, & Incabes vocans colit. Legatione fungor gregis mei : precamur, ut pro nobis communem Deum depreceris, quem pro Salute Mundi venisse cognovimus, & in universam terram exiit sonus ejus . Hæc propriè referuntur à D. Hieronymo in Vita Pauli Eremit. quæ legitur initio lib. 3. Epistolar. relata enim in dicta *Dissertat. I. cap. 6.* eadem non sunt, licet eundem reddant sensum, quia non transcripscreram à Divo Hieronymo , sed ab alio , qui propria verba relata non tradiderat . Ait Satyrus se legatione fungi gregis sui . Grex , ut ait Valla lib. 2. cap. 24. minorum est animalium congregatio , ut ovium, porcorum, caprarum. Quis autem loqui animalia affirmabit, nisi ea, quæ in Fabulis loquentia finxit Æsopus ? Merito dicendum est (ut in dicta *Dissertat. I.* probavi) Demonem Satyri formam sumpsisse; sicut etiam sumpserat formam Centauri, qui barbarum quid infrendens, & frangens porilis verba, quam proloquens D. Antonio iter manu ostendit , & fuga ex*

ocu-

oculis mirantis evanuit; unde dubitat D. Hieronymus loc. cit. an haec Diabolus ad terrendum simulaverit, an ut solet, Erebus, monstruosorum animalium ferax, istam quoque gignat bestiam.

De Quadrupedibus Digitatis.

C A P. III:

ET si in animalium divisione plerumque Jonstonum sequar, ab eo tamen libenter aliquando recedo. Inter animalia digitata quadrupedia Crocodilum numerat, quem cum aliis inter serpentes reponam. Loquar hic tamen de nonnullis fabulosis, quae Chamæleonti, Salamandræ, Lacertæ, Scellioni, Ranis, & Bufonibus tribuunt, quæ animantia quoque inter serpentes solent enumerari; his addo Mariperum, & Haute dictum, qui sunt exotici.

Chamæleontem nullo alio nutritri alimento, quam aëris, fabulosum est, muscas enim, locustas, erucas, scarabeos, & alia vorare observatum est à Recentioribus, & Peirescius farinaceis vermiculis delectari testantur, ut ait Jonstonus. Sribit Rondeletius de Piscib. lib. 4. cap. 7. se vidisse Chamæleontem cum multis fide dignissimis viris muscas venantem, illisque vescendum. Et Scaliger Exercit. 196. seqq. 4. apud Sennertum dixit hoc animal habere linguam sesquipalmarem longam, exertam, & vibratam, mucoque oblitam, quæ locustas, muscas, & alia infesta capiat, iisque alatur. Variari ejus colorem, juxta ea, quæ attingit, dixerunt Veteres. Theophrastus inquit mutationem coloris fieri à spiritu; est enim natura spiritu plenus, cuius rei argumentum est pulmo adeo magnus, ut per totum corpus extendatur. Furlanus ad Theophrastum judicat ejus spiritus opticos coloris aspectum sic afficere, ut simul & intimi humores, spiritusque agitentur, ut in cute colorem, quem oculi accepterint repræsentent; & quod in omnes colores, præter album, aut rubrum dubitare videtur. Plinius de Tarando ait causam mutationis esse, quod cutis potius speculi naturæ sit similis, unde species circumstantium rerum per aërem diffusæ, & ad hujus generis animalia terminatæ eis talem reddunt colorem,